DE DYSTHERAPEUSI, SIVE QUIBUSDAM CURATIONUM IMPEDIMENTIS...

Giovanni Pelizzo

DE

DYSTHERAPEUSI

SIVE

QUIBUSDAM CURATIONUM IMPEDIMENTIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD LAUREAM MEDICINAE

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. PATAVINO ARCHIGYMNASIO

DISQUISITIONI PUBLICAE SUBMITTIT

PELIZZO JOANNES

BIBIENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1846

hhr

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed . . . . . , officiumque fuit.

OVIDIUS.

AMATISSIMO PATRUO

FRANCISCO PELIZZO

CHIRURGIAE DOCTORI EXPERTISSIMO

ALTERI PATRI MEO

IN AETERNAM GRATITUDINIS

TESSERAM

NEPOS AUCTOR

DYSTHERAPEUSIS

Non omnis morbus, cito satis, tuto et jucunde sanatur. Cujus ratio non semper in medico quaerenda, licet numquam defuerint osores artis nostrae, qui contrarium adsererent. Non medicorum caussam hic agam, nec in aegros ipsos culpam devolvere contendam. Suum cuique. Brevibus tantum perstringam nonnulla, cum omnia enumerari nec facile possint, limitem non designando, nec iisdem locus hic aptus foret. Vires exiguae, experientia tenuis, quam quae tanto operi sufficeret. Quae circa morborum curationem medico se offerunt impedimenta, jam in aegro ipso quaerenda, jam extra illum locata, hic nomine dystherapeusis (a δύς et θεραπεύω, quasi difficile curo) comprehenduntur. Generalia solum adduco, cum ea quae casus fert individui, cuivis fere aegro sint propria, in antecessum ne collimanda quidem, nedum praedicenda.

SECTIO PRIMA

DE CURATIONUM IMPEDIMENTIS IN AEGRO QUAERENDIS

§ 1.

Plurima insunt aegro ipsi, quae therapiam vel penitus impediunt, vel saltem reddunt tardiorem, quorum nonnulla jam primo obtutu manifesta vel et mediocriter versatis se offerunt; alia profundius latent, atque multum attentum, patientem, sagacem exposcunt therapeutam. Celantur quaedam per aegros, quos falsus pudor detinet, in primis talia quibus ex falso concepta opinione turpis aut indecori nota inhaeret; vel adhucdum praesentia, v. g. syphilis, hernia, menstruorum anomaliae, vel praegressa dudum v. g. psora. Reticent aegri more sibi receptum malum, v. g. ebrietatem, masturbationem, aut subinde commissum diaetetici regiminis errorem. Oblivioni alia jam tradidit aeger, jam nihil ad rem conferre existimat. Prolixus evaderem casus singulos exponendo; ingenio medici ad lectos aegrorum committi debent. Generalia solum sequenti lustrabimus ordine, ita disquirentes, ut ea primum quae partem aegri somaticam, dein quae psychen concernunt ipsam, proponamus.

Caput Primum

Impedimenta ex parte aegri somatica

§ 2.

Conformatio corporis, jam totius, jam partis solum, varias exhibet anomalias. Hae quidem pleraeque, cum ad insanabilium pertineant ordinem, scopo non respondent; verum quia morbis vel generandis, vel accedentibus difficulter sanandis, plurimum favent, brevibus mentionem facimus.

Cranii conformatio mala saepe nevrosibus praeprimis occasionem praebet. Vesaniarum species multae, cretinismus, epilepsiae hic non raro fundantur. Thorax gibbosus, asthma, dyspnoeam, morbos cordis, phthisim pulmonalem producit. Pelveos dein mala conformatio magnopere gravidis atque puerperis infesta. Ast etiam robur aut magnitudo systematis vel organi cujuspiam indebita non innocua etc. etc.

§ 3.

Quo referam aptius morbosas diatheses in habitu corporis ipso fundatas. Habitus tener nevrosibus, pastosus arthritidi, phthisi elongatus, apoplexiae torosus collo brevi, vel plurimum favet. An non quilibet horum aut contraindicat aut limitat saltem methodum certam, restringit aut vetat usum remediorum, quae

cito et tuto morbum profligarent? Commemorasse sat est, exemplis innumeris nemini nostrum non defuturis.

§ 4.

Idiosyncrasia notum est quam exerceat in multos tyrannidem. Exempla non affero, cum multo plurima sint quam ut saltem pleraque possent adduci; pauca quaedam tritaque magis memorasse, parum juvat. Impedimenta quae hac parte curanti accedunt, taediosa sunt, jam et noxia, immo plane periculosa. Infelix aeger reputandus qui in medicamen certum, aut formam etiam medicaminis, pollet idiosyncrasia. Nunc dosis minima effectus causat horridos, nunc contrarium, quam quod induci volebat salutare futurum, efficit. — Quid si ab hoc remedio tantum speranda salus? — Mitius ferit medicum, cum aeger sibi culpam adscribere cogitur, quod sibi jam prius notam, huic non communicaverit idiosyncrasiam. Non autem semper sciuntur aegro quae sumenda erunt; subinde medicus ipse non patefacere justum censet. Quotusquisque non penitus ignarus rem medicam concernentium? Accusat medicum dosim sibi justo majorem fuisse exhibitam; invehitur illi, venenum sibi propinasse.

Caput Secundum

Impedimenta quae partem psychicam aegri concernunt

§ 5.

Opiniones falso conceptae (praejudicia) uberrimum constituunt dystherapeusis fontem. — His magna pars pathologiae mentis humanae absolvitur: intellectus restrictionem patitur, a veritatis tramite desciscit; voluntas aliter quam fas est in agendo determinatur. Quis earum numerum capiat, quem non terreat multitudo, qui illas adversus contendere velit? Dominium summum exercent super omnes; — his mundus regitur. Nec deerunt unquam. Rationis enim imperium tam late extensum, quod singulos et universos juste moderaretur, in idea solum consistit. Extirpandas censent nonnulli, qui mentem humanam velut agrum tractabilem considerant. Tentarunt alii impugnare eas, non vocati; ast vel conatus suos irritos experti, ludibrio fuere, vel ipsi multitudine oppressi interierunt, — theoriam sibi non fuisse versam commonstrantes.

Medicus aegri curam gerens, hac ex parte plurima quae scopo adversa sunt experitur. Juvat igitur memorare quaedam, quae praejudiciis in re medica, — tollendis, enervandis, sopiendis, aut innocuis reddendis, maxime conferant. Summis quatuor his indicatio-

nibus totidem remedia cardinalia respondent. Scientia, ars, auctoritas, prudentia. Liceat de singulis pauca dicere.

Scientia vera, velut universale praejudiciorum catharticon censetur, in medicina etiam summum remedium. «Duo enim sunt, scientia et opinio, quarum altera quidem scire facit, altera ignorare». — Ast quis talem se possidere arbitretur? An non et medici quidam falsis opinionibus scatent? Non persuasus ipse, quomodo persuadeat aliis? Non medici non capiunt omnes: «Res sacrae sacris hominibus demonstrantur: profanis id fas non est, priusquam scientiae orgiis initientur» Hippocr. An qui admittant sani dum sunt, dum aegrotant possint idem? Patet igitur antidotum hoc nec apud omnes, nec in omnibus casibus adhiberi posse, in aegris raro; hygienem magis concernere, institutione publica et sermonibus amice collatis in usum vocandum, modo quasi prophylactico.

Ars medica, vere talis, in praejudiciis enervandis sic agit. Medicus artis amore ductus, summam ejus dignitatem sentiens, dum animi candore et solertia indefessa officiis adimplendis incumbit, de contrario edocet falsa opinantes. Verum quae de praecedenti dicta sunt hic etiam valent multa, quibus adde. An profani, medici artem semper rite dignare scient et velint?

Auctoritas. Summum narcoticum mentis humanae intellectum ab inquirendo in rationes prohibet, pro sufficientibus interdum rationibus, quas non caperet,

illud: «Stat pro ratione voluntas» substituens. Cohibet actiones quae scopo sibi non convenire videntur. — Quid medici valeat auctoritas in aegros ipsos, quam mire demulceat et sopiat opiniones falso conceptas facile nocituras, neminem latet. — Ast non cuivis, neque semper in aegros tale conceditur imperium. Concesso licet num quilibet utatur?

Prudentia! Quae cogitantur, sentiuntur, atque fiunt per alios scopo nostro non responsura, ita determinare, ut non solum non noceant, sed insuper proficua evadant, summum certe quod rationi humanae conceditur. In casu nostro, remedium, cui accessus ubique patet; quae praecedentibus obtineri non potuerunt, huic certe non refractabuntur.

§ 6.

Ceterum remediis his medicus caute utatur. Neque enim quid sibi consilii sit ostendet, neque in apertum prodibit campum, dimicaturus. Hostes enim numero plures quam expectarat inveniet, ac illos etiam, quos addictos sibi putavit, inimicos experietur. Circumveniri talia volunt! Delectus in his non minus difficilis. Quae ubi valeant, quae haberi possint, definire arduum est. Videat ne scientiam obtrudat, non erudiendis; artem suam ostentet; auctoritate uti velit qua non pollet: dein quis imprudentem se fatebitur? Hic sagacitas medici elucet, qui altius naturam humanam indagans, subtiliora quam quae culter detegit anatomi-

cus, lustrat, in ipsius animae penetralia pertingens; atque sic aegros non visibilibus vinculis tenet obstrictos, pro lubitu regens, utque sibi ipsis bene velint, sapienter cogit.

Unum superest. Medicus prudens falso conceptas opiniones in quas impingit, velut impedimenta quae removere non potest, sollicite deviabit. Praejudicia quotquot viderit, ut totidem morbi complicationes considerans, tantisper suspendet, atque quod prius urget malum, huic medebitur. Malum quidem pariter opinione falsa teneri; ast non ut hanc sufferres, te vocaverunt. Num prius errores refelles aegrum meliora docendo, dein febrim tolles? Peccant permulti qui rudi manu talia tractant, censores morum severos agunt ubi res non exigit; castigant hominum naevos, errores reprehendunt, stultitiam irrident. Ast quid efficiunt? Odio habentur, vel risui sunt. Non vocabuntur, abstinet potius aeger medico, quam ut talem accerseat Catonem.

Jam nunc ad opiniones falsas, quarum culpa aeger sanationem vel plane non, vel justo tardius impetrat, transimus recensendas. Paucas solum hic enumerabimus quae medicinam, medicos et medicamina concernunt, atque haec promiscue fere, cum ita inter se collineent plurima, ut ordo vix possit exactus teneri.

§ 7.

Utilissima certe quaestio foret, quid medicus? et quae illum inter et aegrum sit relatio, in usus profa-

norum dilucidanda. Tam enim abludunt variorum opiniones, ut nil tam turpe sit, quod et hic quibusdam non assereretur, medicum jam nihilo digniorem quam ceteri mortales, jam his longe superiorem, divis adnumerandum censentes. Quae potior sit opinio, aetati nostrae magis accommodata, facile conjicimus. Nemo non eruditus vult haberi, qui cultum se profitetur. Delibant scientiae cujusvis primordia, difficillima, quaeque levi manu tractant ut eruditionis gloriolam aucupent vani. Haec sors et medicinam ferit, sperandumque brevi ut inter bellas artes referatur. Non se expertes omnis medicae cognitionis putant, sibi etiam votum esse in propria sanitate restituenda autumant. Ita fit, ut jam quae medico fieri debeant, praescribant; quae fiunt, dirigant; quae facta sunt, crisi subjiciant sententiam ferentes. — Morbum determinant, methodum statuunt, remedia seligunt, atque haec medico accedenti jam benevole offerunt, sibi ipsis placentes, jam obtrudunt imperiose. Curam porro quoque dirigunt, super ea quae praescripseris rationes deposcunt, citant quae legerunt alicubi, objectiones formare nil dementis putant. Quae sibi minus necessaria vel noxia plane videntur, in his quae medicus ordinat, pro arbitrio negligunt. — Subaudi, quae sint colloquia conviviorum, qualia disceptent, quos congregat otium? De morbis et medicis agitur. Curae ventilantur, non succedente sanatione medicum jam damnant, jam absolvunt; succedente vero, nunc fortunae, nunc medico tribuunt, aut etiam vim naturae me-

dicatricem laurea donant. — Ceterum bono simus animo! De his jam Hippocrates conquestus, qui tamen divina non procul origine putatus, qui nobis mortalibus talia non accidant?

§ 8.

Contrario laborant vitio, qui medicum diva praeditum potestate credunt. Postquam per circumforaneos, aniculas, multum diuque male habiti fuissent, medicum accedunt postulantes, ut illos ocyus sanet. Neque rarum est quod tempus praefigant, intra quod restitui velint, aut medicamina plane respuant. Tali modo, quae multis in casibus plurimum opitulatur spes atque fides, hic quod immodica sit et insana, aegri perniciem maturat.

Huic affinis est opinio quae multis fovetur « medicum pro arbitrio, morbi durationem jam longiorem, breviorem jam reddere posse, ac propterea medicum amicum esse optimum ». Dive Celsi! tam indignam assertionem tuis effatis praemitti posse certe non sperabas.

Si quaeras ex improbe cultis, aut libros etiam quosdam consulas, tibi dicetur: medicinam esse artem experimenta in aegris instituendi, et qui id facit est medicus. Non reputant secum qui hanc fovent ideam, quod in propria saeviant viscera, quippe qui non fidentes medicinae et medicis, maximo beneficio generis humani se privant ipsos.

§ 9.

Non rarum est videre aegros, qui medicamen omne respuant. Difficile est in causas et fontes aversationis talis inquirere. Infelices magis si omne auxilium renuant. — Conceptus enim medicaminis multum adhuc vagus, ut alii id solum medicamen esse censeant, quod pharmacopolio tenetur, alii latissime extendant. E prioribus tamen nonnulli remedia sic dicta domestica admittunt, in haec solum fiduciam reponentes. Haec, atque regimen ipsum diaeteticum multi aspernantur, in pharmacopea solum salutem quaerentes.

§ 10.

Nunc de remediis formis quaedam dicamus. — *Clysma*. Vix remedium quoddam tot refractarios habet aegros, quam illud. Neque causa tuto potest assignari. Num ob analogiam quam cum aliis operationibus chirurgicis habet? minime. Num ex falso decoris conceptu? neque hoc. Sensus externos non ferit ingrate. Non impios agitat dolos, nec heroicos effectus inducere tentat, raro repugnat aliis remediis, quibuscum fere omnibus amice conspirat; neque tamen non utilissimum est, cui interdum non aliud ullum substitui potest, quod solvendo et demulcendo plerumque, suam sanationi confert symbolam. Quae mansueta sunt, paucis invisa esse solent; mirum igitur cur illud tantos inimicos et osores experiatur.

Pillulae. Formam ipsam respuunt plurimi. Dubitant se deglutire posse, tentant tamen urgente sic medico. Quod dubitas ne feceris! Regurgitantur pillulae, ac in oris cavo diverticula quaerentes, triste subeunt fatum. Dentibus commolitae, sumentem ingrato puniunt sapore. Pertaesus dein laboris, dissolvit aeger ingenti aquae colluvie atque haurit, vel passis uvis aut aliis involvit substantiis, quae languenti ventriculo vix subiguntur. Sic scopus medici qui linguae et naribus parcere volens, qui substantias graves, aut aquoso vehiculo non probe jungendas exhibi turus, hanc elegit formam, mire eluditur. Saepius accidit ut imprudentes effectum quem expectant inducturi, citra jussum medici numero plurimas sumant, defectum efficaciae accusantes.

Diaeta. Quidam dum abstinent a cibis omnibus, aut saltim parcissimos ingerunt, hanc strenue se observare credunt. Quid si restaurans indicata fuerit?

Operationes chirurgicae, multo plures quibus auxilium tuto ferri potuit, salvassent. Fortiter respuunt, usque dum malo increscente, doloribus eo adacti, se quidem operari sinunt, ast communiter infauste, quia sero.

§ 11.

Quae sit potestas animi in morbos generandos, exasperandos, supprimendos, aut sufferendos, universis notum est. Imprimis vero dum valide commotus in affectis erumpit, pro varia eorumdem indole effectus mani-

festos experimur. Spes erigit aegrum. Phthysicus sperat, quem metus brevi perderet. Contagium ipsum metuentibus idem, aut aerumnis, cura, sollicitudine confectis, facilius suscipi videmus.

SECTIO SECUNDA

DE CURATIONUM IMPEDIMENTIS EXTRA AEGRUM SITIS

§ 12

Circumstantiae loci. Beatus ille qui procul negotiis etc. Ita cum Flacco felices depraedicat ruri degentes, pariete clausus civitatum incola. Non diffitemur rusticam vitam amoenitati plurima commoda juncta habere; suis tamen aeque non caret incommodis. Sicut enim tuendae valetudini plurimum opitulatur, sic reparandae eidem, imprimis ubi repente in discrimen deducta fuit, non parum adversam experimur. Medicus longe abest, qui morbum in primordiis extinguat. Remota subinde civitate debet accerseri; quae hic temporis jactura, donec advena salutetur? Pharmaca non praesto sunt; quae attulit secum, forte contraria, cum nuncius qui venerat, jam praeter id quod aegrotet aliquis, nil ultro referre sciat, jam male edoctus aut non edocendus, longe diversum morbi statum describit.

Felix reputandus aeger dum natura medicatrix servat aegrum, morbi benignitate non perimente. Talia cum audit urbicola, desistit votis, sanitatem suam, cu-

jus forte particulam jam tantum possidet, majoris faciens, ac imaginarias ruris delicias; dumque valetudinarius, urgente sic medico, rus petere deberet, urbis illecebris obstrictus non facit idem, et pariter plectitur. Atque sic, dum vitare studet recuperandae valetudinis insidias, imprudens in illas illabitur.

§ 13.

Res domesticae. Impedimenta morborum curae quae hac ex parte accedunt, sunt omnium frequentissima simulque molestissima. Constitutio rei domesticae multum variat, pro ratione vitae conditionis, opum, numero et indole membrorum quae familiam efficiunt. Quem non sollicitet herum cura domus suae? Hunc angit dubia res familiaris, ille de amissis opibus moeret; pax inter domesticos sublata, discordia regnat, inter conjuges clandestinum gliscit odium. Haec opulenta domus, sed ordo desideratur; nullus adest ex tot et tantis qui curam aegri gereret; avaritia subtrahit aegro, quae forent necessaria. Satis esse putant, si quod praescriptum fuit medicamen, parari curent, reliqua negligentes penitus. — Ni medicus judex, benefactor, protector, paraclitus, pacificator, qui lites dirimat, sublevet, protegat, soletur, et jurgia componat, non ullo hic medicaminum apparatu efficiet quidquam.

§ 14.

Fortunae. Pauper ubique jacet: ast dum aegrotat pauper, bis pauper. Quid medicus faciat, dum aeger auxilium implorat, omnium rerum adeo inops, ut nequidem ea, quibus non carere licet, comparare queat? In nosodochium mittendus. Multis hoc responsum in promptu est.—Non adest ubique praesto; si quod adest, tantum miserioribus suscipiendis destinatum, qui publico sumptu curentur, quin ipsi pendeant aliquid. Num quivis pauper licet, se talem fatebitur?—Multos vitae conditio, avita nobilitas, insignis titulus distinguit, queis opes non ita respondent. Vivunt in dies quidem, sed assem reponere, in adversis solatio futurum, non valent, aut negligunt improvidi. Majus hi reputant malum suam prodere pauperiem, quam morbo vexari. Celant inopiam, quae sibi contemptu foret; letum subire malunt, quam ut vitam ducerent, honoris expertem.—Hic ab argento inchoat auxilium, illud remedium hic summe indicatur.—Bene est cui Deus obtulit, qui dare possit; et multa fiunt sane per medicos hoc respectu in decus artis nostrae summe laudanda. Nec diffidemus, plura fierent adhuc, verum non aureo vivimus tempore, non cuivis hodie Galenus promissas dat opes; quotusquisque medicorum non ipse eget?—Esto tamen possit dare et velit; quid si quibus dandum est, fastu tumeant, qualem mendicis esse proprium experimur, et oblata respuant? Omnibus egent, beneficia tamen ac-

cipere dedecori sibi ducunt, nihilominus curari volunt.

Avertas oculos qui tenerioris es animi; flebilis haec scena, commiseranda sors horum qui miseris miseriores adhuc sunt. Recti conscientia te non destituet, non te culpa manet, hic opem non tulisse, voluisse satis est.

§ 15.

De adstantibus. Deplorandus quisque, qui lecto adfixus, morbo decumbens gravi, ab omnibus relictus solitarius jacet, sine ope et auxilio. Non adest medicus, non amica manus medicamen propinat, non quibus diligitur, cognati, parentes animum erigunt, dulci spe restitutionis solantur. Infelix quem sors tam dira manet. — Verum illi etiam qui adstant, saepius a scopo aberrant adeo, ut tantum abest solatio sint aegri, ut potius illius augeant anxietatem. E primis regulis clinicis est, aegrum quantum licet de morbi periculo solari, idemque mitius quam pro re describere. Versatum decet esse medicum ne vultu voceque contrarium testetur, ne ea quae vere sentit, gestibus prodat. Non autem qui adstant sibi moderari possunt, dum medicus officio suo satisfaciens, cognatis, aut qui concernunt aegrum aliis, periculum forte imminere, cautus notum reddit. Metu perculsi, sollicitudine continua pleni, de vita aegri, sibi forte patris, benefactoris, conjugis aut amici, non sui imperium tenere valent amplius: prorumpunt in querelas, lacrymas, gemitus. — Quapropter

adficiant haec aegrum, necesse est; an non vitae flammula quae tremula tantum micat penitus extingui debet? Verum nullo etiam imminente periculo, adstantes frequenter culpam gerunt, quod aeger tardius convaleat. Considera quaeso quid agant! — Vix fama percrebuit amicam morbo correptam, en accurrunt undique; prius videndo, num verum sit, curiositas urget; dein obsident aegram, atque continuis quaestionibus torquent, inquirunt in morbi causam et sedem, dumque jam cognovisse existimant, quid curae sit aspiciunt, consilium etiam proprium subnectentes. Quippe quod compatiens magis est sequior sexus, auxilio ferendo ubi etiam non requiritur promptissimus.

Quaevis harum alia remedia proponit, e penu experientiae desumpta proprio. — Succedunt aliae, — quae eodem procedunt ordine, quaelibet interrogat, inquirit, denominat, praesagia fert, dissuadet, proponit, suadet, obtrudit. Talia quis sustineat? Continua irrequies, sermocinatio multa delassant; aer aegram ambiens corrumpitur, hanc reddit anxiam, varia quae proponuntur dubitare faciunt, continuo in memoriam revocatur malum, toties idem repetendo. — De morbo amicae varia circumferuntur, fama eundo crescit, ut malum subinde leve, continuis additamentis, evadat horrendum; et quae sequenti die venit cum proh dolor heri neglexerit, sub ingressu statim effutit, se quod audiverit tam graviter decumbere sibi dilectam, invisere festinasse, doloremque simul sincero animo testatur immen-

sum. — Quid si insuper medicus in talem illabatur coetum? — Num aegram prius videat et huic ferat opem; num congregatas exaudiat, sciscitantes, proponentes, urgentes? anceps haeret. Apollinem esse decet, qui harum omnium criteria effugiat, jurgia componat, improbationes sopiat, objectiones factas dilucidet. — Haec venae sectionem purgans, alia moschum et vescicans necessarium censet: vae medico, vae decumbenti si multas hujusmodi habeat amicas!

§ 16.

Parabolani. Quod meritum habeant in aegri restitutionem, qui fueras aeger probe scies. Majus idem esse quam medici ipsius, sicut multi contendunt, non hic decerno.

Id tantum subjungo, dum talia dicantur, parabolanos vere tales intelligi, qui certe maximo sunt aegrorum emolumento. Peritia, solertia, sobrietas, vigilantia, patientia, animus auxilio ferendo promptus, humanus. Multae sunt quae requirantur virtutes quae ornent parabolanam. Quod sequior sexus huic muneri se magis dicet, et idoneus sit magis, velut abunde notum cunctis, hic praetereo. Verum cui nostrum non constat, quae horum accidant negligentia, pigritia, intemperantia, stoliditate, arrogantia? Jam non exhibent exhibenda, jam non debito tempore propinant; permutant, mutant medicamina, dum sibi quid ita videtur, addunt, aut omittunt eorum quae praestanda forent.

THESES DEFENDENDAE

I.

Medicus practicus absque theoria solidis fundamentis instructa caecus.

II.

Ex medicina populari plus damni, quam emolumenti redundat.

III.

Diversa medendi methodus in eodem morbo, non tantum non probat artis incertitudinem, sed quandoque est necessaria.

IV.

Homeopathia multa continet vera et nova; sed vera non semper nova et nova non semper vera.

V.

Amor felix omnem exaltat vitam.

VI.

Non morbi, sed dispositiones in morbos, haereditate acquiruntur.

VII.

Affectus animi et variorum morborum causa et variorum persaepe medela esse possunt.

190

VIII.

Lux specifice in nervos, calor in vasa agit.

IX.

Dolor et voluptas duo sunt vitae custodes, qui tamen in vitae exitium nonnumquam agunt.

X.

Non aetas, sed judicium rectum facit medicum.

XI.

Haemorrhoidum fluxus sanitatem vix turbat.

XII.

Non dantur morbi vere intermittentes.